
DE
TACITI STUDIIS RHETORICIS
RATIONE HABITA ORATIONUM QUAE EXSTANT IN PRIORE ANNALIUM PARTE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE VII MENSIS MARTII A. MDCCCLXXIII HORA XII
IN AUDITORIO MAXIMO
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET

AEMILIUS WALTER
MOLHUSANUS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
OSC. HERRMANN, STUD. PHIL.
MART. HERWIG, CAND. PHIL.
BERNH. HUEBNER, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM,
FORMIS KARRASIANIS.

De Taciti dicendi genere cum permulti scripserint, tamen in eo vehementer errant, quod una eademque ratione omnia eius scripta recensent neque in describendo eius dicendi genere diversa temporum spatia statuunt. Qua in re accuratius inquirenti haec denique exsistet sententia, iusto plus historica eius opera sola respici, quae quamquam absolutissima esse satis constat, tamen accurata totius scribendi generis imago ex iis describi non poterit, nisi adhibitis in comparationem etiam prioribus libris, inprimis quaestione de studiorum eius ratione instituta, quae minime historica erant, imo vero tota rhetorica. Itaque de Taciti studiis rhetoricis scripturus non modo ad universam eius scribendi rationem rite explicandam me quaedam collaturum esse spero, verum etiam illis satisfacturum, qui scripta historica prae ceteris fovent. Tum enim etiam orationes, quas differre aliquantum ab historico in quo leguntur contextu notum est, vel optime explicari poterunt, si ad rhetorica scriptoris studia referuntur. Orationum autem quod modo primorum VI annalium librorum exempla hoc loco recensere conaturus sum, tironis primitiis veniam fore spero.

Ac primum quidem si quaeritur, quibus usus praeceptoribus quaque ab illis doctrina imbutus sit, inprimis quatenus rhetoricae arti operam dederit, de his rebus certi nihil memoriae proditum est, si quidem de auctore dialogi de oratoribus adhuc dubitamus. Sed hanc quaestionem neque denuo movere in animo est neque ad propositum pertinet tota res, ideoque tutius videtur demonstrare quomodo oratores et praeceptores, quos enumerat dialogus, Taciti fuerint vel praeceptores vel amici, etiamsi ipse hunc libellum non scripsisse videatur. Huc accedit quod Plinio cum intima familiaritate tum summa aetatis atque studiorum similitudine coniunctus, ab eiusdem quoque praeceptoribus, quos paulo accuratius novimus, institutus videtur. Quae

cum ita sint, veri simillimam tamen eius studiorum imaginem adumbrare poterimus.

Fuit autem proximum temporis spatium postquam libera respublica periit summis publicae vitae mutationibus memorabile: viderunt enim cives pristinae libertatis specie regiam potestatem velatam, unaque cum metu ideo simulatio quaedam perpetua animos invasit. Quod in literis quoque accidit. Nam paulo post Ciceronis poetarumque qui Augusto imperante vixerunt tempora praeclarissima praeter oratores etiam scriptores rerum et philosophi a sincera illa dicendi ratione aberrantes ostentationem et, ut ita dicam, simulationem quandam induxerunt. Neque enim uberior iam materia fuit oratoribus splendor rerum et magnitudo causarum, sicut antea in libera republica, ubi etiam iudiciorum ratio liberior eloquentiae vim auxit, cum publice in foro agerentur causae, sed metu principum vel in secreto agebantur causae vel in senatu habebantur orationes innoxiae vel inani disputatione in auditoriis controversiarum exercebantur ineptiae, quarum studium nuper celebratum dicit Seneca rhetor ideoque facile esse sibi nosse rem post se natam.[1]) Itaque diserti illorum temporum homines causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores vocabantur[2]), et hinc etiam ortam putabimus rhetoricae ipsius criminationem tamquam vanae improbaeque artis, quam ipsi equites Romani ut Blandus tamen iam docere non dedignabantur[3]). Qua ratione postquam etiam Cassius Severus orator[4]) vetus illud ac sincerum dicendi genus primus omisit, quia, id quod proprium eius temporis est, „cum condicione temporum et diversitate aurium formam quoque et speciem orationis mutandas“ censuerat, tum etiam sequentes oratores pariter a Ciceronis imagine aberrare coeperunt, ac potissimum Seneca philosophus[5]), eius generis princeps, totus abiit in hanc viam, cuius in eloquentia corrupta pleraque sunt atque eo perniciosissima quod abundant dulcibus vitiis. Tacitus autem illo quidem tempore natus tamen eiusmodi studiis non favebat quippe qui praeceptoribus gauderet iis, qui Ciceronis exemplum et ipsi sequebantur et reducere in

1) Sen. contr. I, pr. 13. — 2) Tac. dial. 1. — 3) Sen. contr. II, pr. 5. — 4) Dial. 19. Ann. I, 72. IV, 21. cfr. Quint. X, 1, 116. — 5) Quint. X, 1, 125—131.

literas studuere. Fuerunt autem Iulius Secundus, Vipstanus Messala, Curiatius Maternus, Quintilianus, quorum hunc maxime impugnasse scimus perversa aequalium studia.

Quintilianum Tacito fuisse praeceptorem non certo relatum legimus; sed Plinius cum eum sibi vindicet magistrum unaque cum Tacito se in eadem studia incubuisse gaudeat [1], aperte etiam nobis qua ratione et a quo Tacitus eruditus sit confirmat. Iam vero Quintilianus discipulus fuit ipse Domitii Afri [2], Iulii Africani [3], Trachali [4], Noniani [5], denique aequalis Iulii Secundi [6]. Quorum singuli veteris eloquentiae erant amantissimi ideoque eiusdem amorem in Quintiliano excitasse videntur ita ut postea quoque varias eorum virtutes grato animo praedicet, sicuti vires Africani, maturitatem Afri, sonum Trachali, elegantiam Secundi [7]. Rhetor sane erat Quintilianus isque illo quidem tempore longe praestantissimus, quod minime vitio ei vertemus reputantes, in rhetorica tamquam fundamento tum omne literarum studium positum fuisse; neque tamen ceterorum more in declamationibus vanis semper versatus neque in causis ubique auditus est, verum maxima ex parte iuvenum praeceptor tam fuit clarus, ut Domitianus sororis suae nepotes ei tradere educandos non dubitaret [8]. Iam quibus praeceptis discipulos, in his Tacitum, imbuerit satis apparet ex ipsius libro quem de oratoria institutione scripsit, qui eum non solum eloquentiae sui temporis recte mederi studuisse, sed etiam moribus fuisse docet sincerum, probum, honestum. In eloquentia autem, inprimis in iudicio de Seneca lato [9], corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus ad severiora iudicia revocare contendit, fecitque illud idem veteres commendando Ciceronemque tamquam exemplar et normam eloquentiae ponendo [10]. Nec vitio ei vertemus, quod ipse interdum parum probando usus est sermone, imo a Ciceronis exemplo longe interdum alieno, cum perversa aequalium eloquentia eius esset momenti, ut etiam qui eiusdem errorem intelligebant tamen sua sponte quodam modo inviti eam sequerentur. Quintilianum igitur utpote clarissimum

---

[1]) Plin. ep. II, 14, 9. VI, 6, 3. — [2]) Quint. X, 1, 118. XII, 11, 3. Tac. dial. 13 et 15. Ann. IV, 52. XIV, 19. — [3]) Quint. X, 1, 118. — [4]) X, 1, 119. — [5]) X, 1, 102. — [6]) Quint. X, 1, 120; 3, 12. — [7]) Quint. XII, 10, 11. — [8]) Quint. IV, prooem. 2. — [9]) X, 1, 125. — [10]) Quint. X, 1, 105—112. V, 11. VI, 3, 1. XII, 1, 20; 10, 12 et saepissime.

eius temporis praeceptorem iure putabimus longe maximi momenti fuisse in Taciti eloquentiae studio formando et inde ab eius doctrina exstitisse ei veteris eloquentiae amorem dicemus. Recte igitur uberius iam pridem expositum est, quid Quintiliano debeat Tacitus in dicendi genere exemplis plurimis allatis [1]), ideoque hoc loco id unum addere sufficiet, discipulum postea praeceptore longe superiorem fuisse, cum non solum sua sponte novum eloquentiae genus sibi comparavisset, sed etiam illud quod praeceptores prae se tulerant nihilominus retinuisset tum, cum orationes historiae insereret.

Etiam minorum praeter Quintilianum usus est praeceptis et consuetudine, neque infimum ibi locum Nicetes Sacerdos obtinuisse videtur, cuius Plinius se perhibet discipulum et ad quem audiendum cotidie fere ventitabat [2]). Nicetes autem multum a Quintiliano differebat; Smyrnaeus enim origine iam sua sponte ad Asiani generis vitia inclinabat eaque in causis et declamationibus non modo non abiecit, sed eventu motus auxit [3]). Cur enim deposuerit orationis ornamenta illa, impetum verborum et elationem omnino orationis, quibus maxime excellebat [4]), cum illa Asiaticorum non minus quam Graecorum et Romanorum excitarent admirationem, solumque apud eum discipuli non audiri sed audire dicerentur? [5]) Qua de causa tamen minus valuit docendo, discipulique audiendo tantummodo et ad verbum praeceptorem imitando non tantum eius praecepta divulgarunt, quantum exercitationibus factum est aliorum perpetuis. Itaque assectatorum numerus neque magnus fuisse videtur neque memorabilis prae admirantium multitudine. Parum etiam honeste nominatur in dialogo, tamquam ab Aeschine et Demosthene longius absit et Ephesum vel Mytilenas una cum reliquis rhetoribus concentu scholasticorum et clamoribus quatiat [6]). Quid autem statuemus intuentes illud dicendi genus, quod proprium fuisse fertur Nicetae, et speciem eximiam, quam omnes Taciti libri prae se ferunt comparantes? Nonne impetus verborum utrumque exornat discipulumque haud mediocri usum prae-

---

[1]) Liebert., de doctrina Taciti, p. 12—25. — [2]) Plin. ep. VI, 6, 3. — [3]) Philostr. vit. soph. I, 19, 1 (ed. Kays.): *παραλαβὼν τὴν ἐπιστήμην ἐς στενὸν ἀπειλημμένην ἔδωκεν αὐτῇ παρόδους πολλῷ λαμπροτέρας ὧν αὐτὸς τῇ Σμύρνῃ ἐδείματο.* — [4]) Senec. suas. III, 6 (ed. Bursian.). — [5]) Id. controv. IX, 25, 23. — [6]) Dial. 15.

ceptore docet? Nonne si dithyrambicum quasi colorem admiramur in annalibus historiisve, eius originem illuc referemus, quod Nicetes *διθυραμβώδης καὶ ὑπόβακχος* aequalibus visus est?[1]) Nonne denique *σεμνῶς* ubique dicens Tacitus[2]) ipso vocabulo prope nobis affert memoriam Nicetae *μεγαλοφώνως* dicentis[3]), ita ut ipse modo meliorem eloquentiae Nicetae partem secutus sit? Atque cum de hac ipsa quaestione Haasio teste exstet libellus „*Τὸ σεμνόν* in oratione C. Taciti ad Plin. II, 11 ex Hermogenis disciplina expensum, Vitemb. 1725“, cuius inspiciendi mihi copia facta non est, iam pridem Taciti elocutionem ad priorum doctrinam relatam esse videmus. Iam quoniam Nicetae scripta in comparationem vocare non possumus, ex Hermogenis doctrina modo annotandum est, secundam eius ideam quam vocat esse *μέγεθος*, eiusque partem *σεμνότητα*; cuius praescripta cum in Taciti elocutionem omnino quadrare videantur, tamen singula inde perspici nequeunt, quod Graeci sermonis exempla sunt, eaque ad vocabula, literas, syllabas accuratissime elaborata.[4]) Itaque priusquam etiam singulis exemplis demonstraverimus, quomodo Taciti gravitas crescat per totum operum ordinem, nunc omnino eum Nicetae fuisse non solum discipulum sed etiam in ipso dicendi genere asseclam statuemus.

Quintilianus igitur et Nicetes, qui praeceptores eius temporis erant praeclarissimi, etiam praeter ceteros Taciti eloquentiae studium ad eam quam diximus rationem certe adduxerunt; doctrinam vero ad vitae utilitatem dirigere apud alios didicit, quos in dialogo dicit studiose se audivisse in iudiciis semperque secutum domi et in publico.[5]) Sed etiamsi a quo scriptus sit dialogus in incerto adhuc relinquamus, tamen eorundem virorum cum Tacito consuetudinem non minus confirmare poterimus, quam Quintiliani ac Nicetae doctrinam. Ipse enim Quintilianus insignem ex eorum numero Iulium Secundum his ipsis verbis aequalem atque familiariter a se amatum dicit[6]), unde aliter de eius meritis dicere, atque is fecit, qui dialogum scripsit, Quintiliani discipulum Tacitum plane non potuisse

---

[1]) Philostr. I, 19, 1. — [2]) Plin. ep. II, 11, 17. — [3]) Philostr. I, 21, 5. — [4]) Cfr. Volkmanni librum „Hermagoras oder Elemente der Rhetorik“, p. 321. § 54 seqq. — [5]) Dial. 2. — [6]) Quint. X, 3, 12.

putabimus. Iulius Secundus autem Vespasiani tempore una cum Quintiliano, Vipstano, Materno occurrit adversarius recentioris eloquentiae, quod munus M. Seneca antea susceperat. Quamquam autem iuvenem eum auctore ac suasore in eloquentiae studiis usum esse patruo Iulio Floro audimus[1]), porro et mirae facundiae virum dici et inter celeberrima fori ingenia referri a compluribus scriptoribus invenimus[2]), tamen de eloquentiae eius genere dissentire paulum sententiae videntur. Quae enim primum refert Quintilianus de infinita eius cura, ita ut per tres olim dies materia iam dudum collecta frustra cogitarit de exordio, ea ita improbasse videtur, ut inde nimiam rerum prae elocutione negligentiam ducat et laudationem denique addat paulo frigidiorem et arte quadam quaesitam[3]). Contra is qui dialogum scripsit et semper eum secutus arcana semotae dictionis penitus se excepisse dicit[4]), Secundo non modo promptum fuisse ut quidam negabant sermonem confirmat, sed etiam purum et pressum ac profluentem in quantum satis erat. Accedit quod in dialogo partes Secundo tributae sunt iudicis[5]) in disputatione de praestantia veterum aut recentiorum oratorum facta, quod munus sane integrum quoddam iudicium postulat, etiamsi non animum ab omni partium studio alienum. Paulo post etiam et arti poeticae se favere profitetur[6]) et veterum oratorum acrem adversus Aprum defensionem suscipit.[7]) Fortasse igitur originem variarum de Secundi eloquentia sententiarum inde ducemus, quod praemature mortuus[8]) animum fortasse nondum omnibus numeris excoluerat; porro etiam vivente eo malignitas et invidia aequalium pluribus locis commemorantur una cum spe, posteros verum de eo dicturos esse.[9]) Verum autem etiam hoc loco in medio positum censebimus, ita ut Secundus aliquamdiu cunctatus inter utrumque dicendi genus denique veteri faverit, cui etiam praeceptorum numero a patruo et Latrone[10]) usque ad Senecam, Ciceronis aperte laudatorem[11]), destinatus videbatur. Itaque amicus vel praeceptor Tacito haud indignus efficitur Secundus. Neque opprimendam suspicio-

---

1) Quint. X, 3, 13. — 2) Quint. l. c.; Tac. dial. 2. — 3) Quint. X, 1, 120. — 4) Dial. 2. — 5) ibid. 4. — 6) ibid. 5 et 16. — 7) ibid. 16. — 8) Quint. X, 1, 120. — 9) Dial. 2 et 23. — 10) Sen. Controv. IV, 25. — 11) ibid. I, pr. 11: Cicero illud ingenium quod solum pop. Rom. par imperio suo habuit.

nem censemus, quod omisisse eloquentiam motus ipsius animi sententia et aequalium invidia, et contra ad scribendam historiam vel singulorum hominum vitam, ut Iulii Asiatici[1], se convertisse probabiliter videtur, cuius studii quamquam matura mors finem fecit tamen eiusdem exemplum postea Tacitus summa cum laude secutus est, itaque etiam in miro illo necdum satis omnibus probato transitu ab oratore ad historicum non fuit expers praeceptorum vel amicorum auctoritatis.

Marcus Aper in eodem dialogo proximus exstat Secundo et amicitia et gloria publica; in genere dicendi autem et moribus omnino valde ab eo differt. Qui quamquam novus homo et in externa civitate (fortasse Gallia[2]) natus, tamen Romae summos adeptus est honores et inter ipsa fori celeberrima ingenia numeratus est[3]), quo loco Tacitum eius sicuti Secundi asseclam perpetuum et discipulum videmus diligentissimum. Neque caruit Aper invidia aequalium, qui tamen non habuere quae ei obicerent nisi quod sine institutione et literis famam eloquentiae consecutus esset; ingenium vero et vim ipsi concessere. Qua in re unicus nobis fons exstat dialogus, quoniam Quintilianus nullum de hoc oratore attulit iudicium. Iam ille, qui dialogum scripsit, invidos illos ita refutat, ut Aprum omni eruditione imbutum modo literas contempsisse dicat, tamquam maiorem industriae ac laboris gloriam ita habiturum. Vana sana gloria, sicuti vanis maximam partem verbis in eodem colloquio recentioris eloquentiae defendendae partes agit.[4]) Neque cuiquam id mirum videbitur. Num enim eum, qui literas et institutionem tam260 ferociter contempsit, defendisse putabimus veteres oratores ac Ciceronem, cuius eloquentiae summa posita erat in omni artium varietate complectenda? Ita etiam moribus[5]) Aper is erat, qui acer, vehemens, ardens quamlibet susciperet defensionem etiam pro libertis principumque procuratoribus. Quodsi haec sine invidia eum fecisse atque etiam summis honoribus functum esse videmus tempore illo et principum gratia et delatorum malignitate periculoso, tum firmo animo eum fuisse non putabimus, sed temporibus callide inservientem praesentis-

[1]) Dial. 14. — [2]) cfr. dial. 7 et 10: Galli „nostri". — [3]) ibid. 2. — [4]) Ita inanibus verbis cum saepius in dialogo tum illic utitur, ubi definit veteris oratoris notionem, cap. 16. — [5]) dial. 3. 15. 24. 7.

que modo gloriae cupidum. Itaque etiamsi fortasse aliter de veterum oratorum praestantia sentiebat ac dixit — ut quibusdam ex locis dialogi colligi potest[1]) — et veram de iis sententiam pariter ac verum de literis et eruditione iudicium celavit, tamen morum verborumque talem simulationem certe non ita comprobare Tacitus potuit, ut Secundi modestiam, qui sub imperatoribus secure vivere maluit ac tacuit. Ita denique in defensione veterum a Materno et Messala egregie instituta ipsius Taciti sententiam audire ipsumque scriptorem intelligere licet, frustraque in omnibus eius scriptis quaeres praeceptoris illius contemptionem vel literarum vel veterum, frustra tantum formae prae rebus cultum.

Hi fere fuerunt, quibus Tacitus praeceptoribus usus est. Qua in re tamen meminisse opus est etiam ab amicis, ad quos iam transire liceat, non minus digna quae discerentur vel imitatione excolerentur percipi potuisse. Ac primum quidem, ut in eodem subsistamus dialogo, Vipstanus Messala sequatur, eorum omnium quos modo enumeravimus intima consuetudine usus pariterque oratoriis studiis deditus. Nam praeterquam quod claris maioribus ortus rebus bello feliciter gestis gloriam sibi iam paraverat[2]), etiam eloquentiae famam eximiam non modo iuvenis adeptus est sed etiam vir factus in posterum servavit[3]). Denique ex sola oratione[4]), quamquam illa temporum iniquitate partim deperdita est, qua summa cum subtilitate causas corruptae eloquentiae explicat, colligi potest, quam bene literis fuerit instructus quamque in eloquentia rationem sit secutus, etiamsi ipse non aperte in dialogo eadem professus esset. Aequalium igitur in studiis oratoriis cum desideret scientiam legum, iuris civilis, philosophiae[5]), certe ad Ciceronis eloquentiae rationem tam prope accedit, ut eum et pro antiquis oratoribus semper loqui contra recentiores et in Secundi Maternique consuetudine versari neque aequalium invidia carere[6]) minime miremur. Quod Tacitum eius dicimus amicum, cum illa ex consuetudine probatur, tum duobus historiarum locis[7]) etiam confirmari videtur; ibi enim amici Messalae narrationem

[1]) Dial. 15. 24. — [2]) Tac. hist. III, 9. — [3]) Hist. IV, 42. dial. 15. — [4]) Dial. 24—35. — [5]) ibid. 32. — [6]) ibid. in fine capitis. — [7]) Hist. III, 25. 28: auctore Vipstano Messala; Messala tradit.

potius affert Tacitus, quam historici scripta, cum in dialogo accuratam sane priorum temporum scientiam demonstret Messala, non autem recentiorum de quibus illic agitur. Profecto etiam talis Messalae liber in eodem dialogo commemoratus fuisset, sicuti Materni carmina Secundique liber de Iulii Asiatici vita compositus. Inde Messalae efficitur imago ea, ut Tacitus amico eo tamquam firmo studiorum praesidio et iuvenis eloquentia studiosus et vir, cum res gestas scriberet, inniti potuerit.

Superest adhuc dialogi interlocutor haud infimus, quem tamen in fine ponere placuit, quia eloquentiae prope nullam operam dedit eo tempore quo Tacitus iuvenis admodum amicorum eius audivit orationes egregias. Curiatius Maternus enim, natus, ut ait Aper [1], ad eloquentiam virilem et oratoriam, tamen prorsus ab eadem se avertit ad artem poeticam, inprimis tragoedias scribendas, non modo odio perversae recentiorum eloquentiae vel taedio temporis iniqui, sed etiam magna ex parte amore ipsius artis motus, qua sola animi tranquillitatem se adepturum sperabat. Metu autem imperatorum eum non motum fuisse, vel optime tragoediarum eius et nomina et fabulae demonstrant, quoniam ea potissimum fabularum argumenta sibi elegit, quibus vel tyrannorum superbiam improbare vel libertatis amicos laudare posset. Tamen prioris quidem eloquentiae non fuit immemor, sed libenter cum amicis eiusmodi disputationes instituit, „quae et ingenium alunt et eruditionis ac literarum iucundissimum afferunt oblectamentum.“ Sic in dialogo non modo poeticam artem defendit, sed etiam una cum Secundo Messalam adiuvat in veteribus oratoribus defendendis [2], cuius orationis etsi amissum est initium, tamen ex ea parte quae restat accuratum eius sententiarum ordinem, quo causas externas corruptae eloquentiae profert, satis etiamnunc admirari possumus. Poeta igitur Maternus cum amicis etiam in eloquentia consilio suo adsit, ne Tacito quidem iuveni propter dicendi rationem veterumque admirationem prorsus ignotus fuisse videtur.

Restat unus e dialogi egregiis ingeniis, Fabius Iustus, qui etsi nullos omnino in colloquio agit partes, tamen non minus

---

[1]) Dial. 5. — [2]) ibid. 16. 36—41.

eiusmodi studiis favebat, cum totus ad eum libellus datus sit. Cuius cum nusquam alibi mentio fiat, illud quidem sufficiet, quod praeterea solum in Plinii epistolis commemoratur [1]; itaque non solum saepe ex eo qui scripsit dialogum requisiverat, quaenam essent causae corruptae eloquentiae, sed saepe etiam in epistolis ad Plinium datis, si modo recte colligitur ex Plinii responsis, artium liberalium studia prae se tulerat. Quam ob rem etiam Fabius utpote Plinii socius certe Taciti quoque amicus fuit in rhetoricis studiis haud negligendus.

Iam amicorum numerum claudat C. Plinius Caecilius Secundus, is qui in eodem numero etsi non ingenio praeclarissimus, tamen testimoniis pluribus vel certissimus exstat Taciti amicus. Decem fere annos minor natu, cum Tacitum propemodum sibi aequalem dicat [2], tamen iam adolescentulus eum secutus est longo, ut ipse ait [3], sed proximus intervallo, pariterque ei coniunctus mansit reliquo vitae spatio, ita ut una non modo Quintilianum et Niceten illum audirent, sed etiam postea una in studia domi semper incumberent unaque publice causas agerent [4]. Qua in re illud nobis quidem semper mirum visum est, quod numquam a Tacito commemoratur hic amicus, quod in historiis quidem vel annalibus paulo difficilius erat, quamquam Plinius ipse illud optabat [5], sed in dialogo non ita longe a disputationis argumento aberat. Ex quo, nisi quis amicitiam illam Plinio soli tam familiarem visam esse putabit, hoc constat, non eos modo praeceptores et amicos Taciti omnino putandos esse, quos in operibus suis aperte nominat. Itaque cum haud mediocrem amicitiam inter duos illos viros intercessisse constet, iam quaeritur, num Tacitus dignos etiam ex ea perceperit fructus. Nec facile hanc comprobes opinionem! Licet enim Plinius ingenii severi strenuaeque industriae fuerit, tamen indole sollerti caruit [6] et inprimis Taciti vigoris fuit expers. Quodsi ex hac animorum consuetudine nova et auctiora quaedam morum et eloquentiae praecepta a Tacito non ducebantur, imo ipse Plinio semper obversabatur exemplar vel

---

[1]) Plin. ep. I, 5. 11. VII, 2. — [2]) ibid. VII, 20, 3. — [3]) l. c. VII, 20, 4. — [4]) l. c. II, 14. VI, 6. IX, 23. II, 11. — [5]) ibid. VII, 33. — [6]) ibid. IX, 29, 1: variis me studiorum generibus, nulli satis confisus, experior.

optimum, tamen redundasse ei ex hoc fonte apparet fidelissimum eius amorem, qui oblitus sui amicos ex omni occasione laudare ultra modum dicebatur [1]). Itaque saepius in epistolis gloria Taciti utpote maioris amici se gaudere sine invidia ac malignitate [2]) profitetur et in eloquentia Ciceronis Demosthenisque secutus rationes [3]) Tacitum cohortatur ut in eadem sententia permaneat.

Iam eos recensuimus, quorum praeceptis et consiliis Tacitus introductus est in literarum, inprimis eloquentiae studium. Ac repetentibus nobis breviter rationem educandi, primum obversabuntur animo ii qui non modo corruptam esse eloquentiam videbant, sed etiam causas intellexerunt, in iis perversam potissimum iuvenum educationem, ideoque iuvenes curae suae mandatos rursus probato veterum modo instituere coeperunt. Quo fit ut iis verbis, quibus vel brevius Messala [4]) educationem veterum a recentioribus diversam exponit vel uberius Quintilianus iuvenum institutionem oratoriam docet, ipsam Taciti educationis rationem ab ipsis eius praeceptoribus accurate descriptam habeamus. Quare e praecipuis quatuor vitiis [5]) quae inesse illorum temporum educationi vulgo dicebantur, nullum Tacito iuveni impedimento fuit. Nulla igitur intercedebat causa, cur Tacitus non solum bona sed etiam optima tum institutione frueretur, nec frustra ex eius scriptis accuratum studiorum ordinem excutiemus. Itaque primum in gremio ac sinu matris educatus erat veterum more et imbutus artium honestarum primitiis, quod pariter commendaverunt Messala ac Quintilianus [6]). At quis illud de Tacito memoriae prodidit? Legas quaeso, quae de Agricolae soceri refert pueritia summa animi elatione, quae de Germanorum sancta matrimonii cura scribit, quae de Agrippinae et Germanici casto matrimonio et pia liberorum cura saepius affert [7]) et paris infantiae grata mente in his memorem fuisse Tacitum libenter putabis. A Graeco deinde sermone incepisse eius disciplina videtur, quoniam non modo Quintilianus aperte illud probabat, sed etiam Cicero, qui in dialogo tamquam absolutae educationis nominatur exemplar, Crassus, alii, Graecis

---

[1]) Plin. ep. VII, 28, 1. — [2]) ibid. IV, 8, 4. I, 5, 11. IX, 2, 2. — [3]) ibid. I, 2, 2. VII, 30, 5. IX, 26. — [4]) Tac. dial. 28—32. — [5]) ibid. 28. — [6]) Dial. 28. Quint. I, 1, 6. — [7]) Agr. 4. Germ. 18. Ann. I, 33. IV, 12.

exercitationibus optime ali ingenia putaverant, patriusque sermo iam per se puero una discendus erat[1]). Sed etiam tenera hac aetate puerorum animos iam literarum elementis instituere coeperunt Romani, quod fieri noluerunt nisi una cum institutione morum. Neque dubitari potest quin satis diligenter primis literarum elementis Tacitus imbutus sit neque illarum artium, quibus nisi innititur rhetorica, vanum efficit verborum strepitum, expers fuerit. Nam is cuius hodie admiramur ingenii monumenta praeclarissima, rite ab earum rerum scientia inceperit necesse est, in quibus velut fundamento posita eloquentia ad summos demum pervenit fructus.

Grammaticam[2]) igitur doctus est antea, quae quidem non modo legendi scribendique expostulabat facultatem, sed etiam recte loquendi scientiam atque enarrationem poetarum comprehendebat. Illud idem puero discendum censet Messala[3]) ante oratoriam institutionem, grammaticaeque aperte rationes spectat dicens „de opera in auctoribus cognoscendis et in evolvenda antiquitate et in notitia vel rerum vel hominum vel temporum insumenda.“ Neque tamen satis rhetori praeparatus erat puer, nisi musica, geometria, comoedi institutio, palaestrica accessissent[4]), quae studia necessaria oratori affert Messala[5]). Iam ad rhetoricam accessit iuvenis non tenera certe iuventute, siquidem rite studiorum huc usque cursum perfecerat. Rhetorica autem fuit bene dicendi ars, quae quod natura animo imposuit grammaticaque formavit eo produceret, ut ornate de omnibus quae occurrerent rebus dicere aliquis posset. Quem ad finem ut perveniat rhetorica quinque utitur praeceptis[6]), quae sunt de inventione, dispositione, elocutione, memoria, pronuntiatione sive actione. Et variis quidem doctrinae gradibus deinceps eo perduci debuit iuvenis, ut iam de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere posset pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium[7]). Longe tamen ab eiusmodi institutione aberat ratio illo tempore vulgo trita. Adolescentes enim ad rhetores

---

[1]) Quint. I, 1, 12; 4, 1. Tac. dial. 30. Cic. Brut. 90, 310; de orat. 1, 34, 155. Suet. clar. rhet. 1. 2. — [2]) Quint. I, 4—9. — [3]) Dial. 30. — [4]) Quint. I, 10, 9. 34. 11, 1. 15. — [5]) Dial. 30. 31. — [6]) Quint. III, 3, 1 et I, pr. 22. — [7]) Ita comprehendit finem rhetoricae Messala in dial. 30.

statim properabant[1]) ibique non causis publicis operam dare coeperunt, sed ex deliberativo eloquentiae genere modo suasoriis, e iudiciali modo controversiis et earum partibus, sententiis, coloribus, divisioni, summa contentione studuerunt; unde non modo recte dicere non didicerunt, sed etiam perversas prorsus neque unquam in vita quotidiana factas res ingenti verborum mole frustra perscrutabantur; quas ineptias adhuc frequentes in Senecae controversiis suasoriisve et in Philostrati sophistarum vitis deprehendes, utpote quae modo aures delectabant, non pectus, et vocem prae animo exercebant in disciplina inani. Quin etiam fuere[2]), qui tali institutione nondum contenti, pueros iam in grammaticae doctrina docebant problemata, paraphrases, allocutiones, ethologias componere „ne sicci omnino atque aridi rhetoribus traderentur!" Contra veteres ad oratorem quendam eximium deducebant iuvenem, quem ubique sequendo et audiendo mox usu fortem eloquentiam ipse adeptus est. Etsi igitur rhetorum institutione non caruit Tacitus, qua nemo tum orator carere potuit, tamen illis exercitationibus magnam operam dedisse non videtur, quippe qui Quintiliani ieiuna disciplina mox usus Secundumque, ut videtur, in forum et causas secutus sit. Ibi deinde manifesto accedere debuit iuris studium, cuius boni exstant fructus in Taciti defensionibus, quas una cum Plinio frequenter suscepit, et in variis de ea re digressionibus. Pariter etiam historiae studuit eamque fortasse iam iuvenis tantopere adamaverat, ut postea ad solam eam scribendam, quod Secundum supra fecisse vidimus, totus se converteret. Philosophiae denique non admodum favit, cum ipsius indoles ab ea esset aliena priscique putaret Romani esse, ex sapientia modum retinere[3]); discere tamen a philosophis quaedam[4]) et ita universam complere eruditionem honestam non intermisit, ita ut „a Peripateticis aptos locos, ab Academicis pugnacitatem, ab Epicureis honestas quasdam exclamationes perciperet" [5]). Maternum igitur hac quidem ratione non multum adiuvisse Tacitum apparet, cum et ipse Stoicorum fortasse sit assectator et eorum doctrina etiam in dialogo praeter ceteras improbetur[6]); paulo maioris Aper et

---

[1]) Dial. 35. — [2]) Suet. ill. gram. 4. — [3]) Agric. 4. — [4]) Dial. 31. — [5]) ibid. 31. — [6]) Dicit enim dial. 24: „Aper more veteri et a vestris philosophis saepe celebrato sumpsit sibi contradicendi partes". Ita Aper et Secundus Academiae fortasse favebant.

Secundus fuere momenti, siquidem Academiae assectatores eos fuisse recte colligitur. Nec minus etiam Graecorum Romanorumque literis operam dedit, scriptorumque diligenter perlegit opera. Quamquam autem in dialogo omnium fere Graeci et Latini nominis scriptorum insignium exstat notitia et libellus eiusmodi prae se fert scientiam, qualem Quintilianus decimo illo libro docuit, tamen etiam ex illis scriptis, quae omnium consensu Taciti feruntur, exempla quaedam afferre liceat. Ac Ciceronem quidem, Catullum, Homerum breviter modo commemoravit[1]), quod in historicis scriptis factum non mirabimur; Sallustium tamen et Livium, historici generis scriptores, breviter et hos quidem affert nec tamen sine morum ac scribendi rationis descriptione tam pressa quam vera. Nam illum rerum Romanarum florentissimum auctorem, hunc eloquentiae ac fidei praeclarum inprimis veterumque eloquentissimum auctorem dicit[2]). E reliquis modo Lucani poetae fit mentio carminumque eius famae[3]), quem certe non attigisset nisi temporum illorum historiae quam scripsit Tacitus quodam modo fuisset implicitus. —

Quoniam igitur qua ratione Tacitus institutus esse videatur exposuimus, superest ut exemplis quibusdam rhetorica eius studia illustremus; qua in re quod orationes elegimus, antea paucis defendendum erit. Spengelius enim in commentatione de primo annalium libro[4]) se in Tacito saepius legendo pleraque invenisse dicit, quae accuratius inquirenti rhetorice exornata visa sint; neque tamen ille orationes respicit, sed narrationem historicam splendidis descriptionibus instructam. In annotatione autem Calgaci orationem Agric. c. 30 chriam rhetorica ratione accuratissime descriptam esse fusius demonstrat. Porro de eadem oratione cum relatum legamus[5]), simillimam eam esse Catilinae apud Sallustium verbis (Sal. Cat. 58) et epistolae Mithridatis (Sal. hist. fr.), plane non ita levis de orationibus quaestio videtur minusque etiam quadrare in unumquemque rerum scriptorem apparet quae Thucydides de orationibus narrationi insertis promittit[6]), *ὡς δ᾽ ἂν ἐδόκουν μοι ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστα εἰπεῖν,*

---

1) Ann. IV, 34. Hist. V, 2. — 2) Ann. III, 30. IV, 34. Agric. 10. — 3) Ann. XV, 49. — 4) Ueber das erste Buch der Annalen des Tacitus; a. d. Abhandl. d. k. bair. Akad. d. Wiss. VII, 3, 1855, p. 6. — 5) Teuffel, Roem. Lit. Gesch. § 330, 2, p. 747 ed. sec. — 6) Thuc. I, 22.

οὕτως εἴρηται. Sed num idem maxime idoneum fuisse concedemus ad dicendum et Catilinae et Mithridati et Calgaco? Nec satis est tres vario tempore idem fere dixisse, imo Tacitus eadem verba etiam quarto loco Haasio teste Mucianum facit loquentem in hist. II, 76! Sallustium igitur Tacitus tam accurate secutus est, ut vel eius ipsius verba transscriberet; quod in Agricolae vita factum non ita mirabimur, quoniam nascentem ibi et in Sallustii exemplo discentem historicum videmus. Sed cum eandem Mithridatis apud Sallustium epistolam iterum etiam in historiis plane alio loco et tempore orationis etiamnunc fontem deprehendamus, summa certe dubitatione affici debet, quicumque historici munus accuratius respicit et eiusmodi inventa fortuita cum universa laude quae Taciti fidei tribuitur comparat. Nihilominus ad Tacitum historicum minime pertinent, sed rem et sententias respiciunt omisso omni in quo leguntur contextu, quaecumque de Calgaci illa oratione censuerunt viri docti [1]). E quibus Hoffmeisterus alienam ab historia eam esse, sicuti chorum a tragoedia contendit una cum Boetticbero, eamque modo Latinae linguae esse dicit, minime vero Romanorum adhuc ingenii. De eadem oratione iam pridem Lipsius dixerat, nihil in Romanorum lingua exstare sapientius, disertius, sublimius. Sententiis igitur non est Romana neque etiam verbis et compositione talis, qualem barbarus pronuntiare potuerit, ita ut plane abhorreat ab omni historiae veritate et tantum eo quodam modo defendatur, quod et in vitae cuiusdam descriptione exstat quae ad laudationum funebrium vaniloquentiam propius accedere potest, et ad priora Taciti scripta refertur, in quibus oratorii studii nimis adhuc memor aegre ad posteriorem eloquentiam pervenit. Itaque minoribus scriptis prorsus omissis gravem hanc de orationibus quaestionem statim ad annales transferamus. Quamquam enim in historiarum libris multae leguntur orationes eaeque longiores, veluti Galbae, Pisonis, Othonis tres, Muciani, Montani, Voculae, Cerialis [2]), et earum numerus satis quidem alienus esse ab illis temporibus videtur, quae describuntur a Tacito, tamen ad ipsum

---

[1]) Hoffmeister, Weltanschauung des Tacitus, p. 68 et 122. Boetticheri lexic. Tacit. prol. p. XXIX. — [2]) Cfr. Hist. I, 15. 29. 37. 83. II, 47. 76. III, 2. 20. IV, 32. 42. 58. 64. 73. V, 26.

absolutissimum et extremum eius opus ilico transeundum videtur.

Notissimum quidem est ab antiquissimis temporibus rerum scriptores operibus suis orationes interposuisse; eloquentia enim ita praevaluit in publica veterum vita, ut quivis historicus tempus quoddam descripturus eloquentiae quoque rationem habere deberet. Qua re moti rhetores etiam proprium eloquentiae genus statuere conati sunt, quod vocabant historicum[1]); maioris tamen auctoritatis est ratio, secundum quam etiam in historia orationes tribuuntur uni illorum generum vel demonstrativo vel deliberativo vel iudiciali. Iam Graecos[2]) historicos paucis respiciamus et explicemus quatenus illi orotionibus usi sint. Atque Herodotus quidem res gestas inde ab initio quam potest optime exponit hominesque potius loquentes facit quam orationum aut dialogi summam narrat; propius igitur ad Homeri rationem epicam accedit quam ad Thucydidem, et medii generis potissimum sunt orationes. Optime igitur Quintilianus totam rem definit[3]), contionibus meliorem Thucydidem statuens, sermonibus Herodotum; quam opinionem Dionysius quoque Halicarnassensis paulo aliter ita profert[4]): *οὐδὲ γὰρ δημηγορίαις πολλαῖς ὁ ἀνὴρ* (*Ἡρ.*) *οὐδ᾽ ἐναγωνίοις κέχρηται λόγοις* seqq. Ita Thucydidis orationes simul in universum intelligimus ex comparatione cum Herodoto instituta. Neque enim simplices sunt eius orationes neque integra narrationis pars, sed arte rhetorica conscriptae; non quae vulgo ferebantur loquentes facit scriptor, sed quae ipsi vel maxime idonea videbantur. Profectus ab his verbis Dionysius[5]) eo usque procedit, ut dicat una cum Cratippo, *οὐ μόνον ταῖς πράξεσιν αὐτὰς ἐμποδὼν γεγενῆσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀκούουσιν ὀχληρὰς εἶναι.* Cui concedemus, rerum narrationem interdum diutius interpositis orationibus retineri, nec tamen iniucundae sunt, imo non solum summae artis testimonia sed etiam ad cognoscendos et homines et res utilissimae; denique omnes eo inter se cohaerent, quod *τὰ δέοντα μάλιστα* dicunt posterisque legendae destinatae sunt.[6]) Non igitur rhetoricae declamationes

[1]) Volkmann, l. c. p. 9. — [2]) De Graecis cfr. Creuzerum, de historica Graecorum arte, Lipsiae 1845. — [3]) Quint. X, 1, 73. — [4]) Dionys. de Thuc. iud. XXIII, 6. ed. Krueg. — [5]) Dionys. l. c. XVI, 2. — [6]) Ita optimum est exemplar historici ea ratione quam Lucianus proponit, *πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν* § 58 et 61: *ἢν δέ ποτε καὶ λόγους*

sunt eius orationes, sed grandia ipsius tam ingenii quam eloquentiae testimonia et ex universi operis natura demum recte intelliguntur minimeque omitti possunt. [1])

Itaque orationes quasi necessario vinculo cum historia coniunctas ne a Romanis quidem rerum scriptoribus omitti potuisse elucet. Sed cum ad orationes frequentissime habendas tot publicae in urbe actiones invitarent, ita ut unusquisque fere Romanus fieret quodam modo orator, etiam rhetorica ars ad studium illud rude inde a Galbae Gracchorumque temporibus accessit. Atque cum rhetorica studia mox apud Romanos augerentur, tamen non universam Romanorum linguam inde a primis rudimentis rhetorico colore imbutam fuisse contendemus; imo gravitas illa vitaeque publicae severitas et sincerae verborum proprietatis studium, linguam latinam colore illo vacare ab initio docent. Sed in ipsa illa gravitate tamen fundamenta nascentis postea rhetoricae inesse facile videbimus, siquidem grandi modo pronuntiatam linguam facile illuc aberrare posse apparet. Huc accedit quod artem oratoriam quamvis sero pauloque difficilius receptam tamen eo acrius exercuere Romani atque etiam operibus historicis adhibere non dubitaverunt. Atque Livium primum Quintilianus dicit[2]) „in contionibus supra quam enarrari potest eloquentem; ita quae dicuntur omnia cum rebus tum personis accomodata sunt“. En eadem fere verba quibus Thucydides Lucianusque utebantur! Thucydides tamen eodem tempore vixit, cuius scripsit historiam ideoque etiam orationes eius scriptae in dicendi genere iis quae re vera habebantur sunt simillimae; Livius autem, cum etiam antiquissimos ita loquentes faciat, quasi sui temporis rhetorica etiam institutione imbuti fuissent, fidem his in rebus haud ita curat. Porro si Thucydidi severitatem ideoque etiam fidem quandam ubique concedamus oportet, contra Livio ubertatem et suavitatem iure

---

ἐροῦντά τινα δεήσῃ εἰσάγειν, μάλιστα μὲν ἐοικότα τῷ προσώπῳ καὶ τῷ πράγματι οἰκεῖα λεγέσθω. Καὶ μὴ πρὸς τὸ παρὸν μόνον ὁρῶν γράφε, ἀλλὰ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἐστοχασμένος πρὸς τοὺς ἔπειτα μᾶλλον σύγγραφε ὡς λέγηται καὶ περὶ σοῦ· ἐκεῖνος μέντοι ἐλεύθερος ἀνὴρ ἦν καὶ παῤῥησίας μεστός seqq.

[1]) Cic. Brut. 83, 287. Or. 9, 30. Supersedeo opinionem Cratippi refutare qui extremo libro Thucydidem consilio dicit omisisse orationes utpote inutiles, Dion. Hal. de Thuc. XVI. — [2]) Quint. X, 1, 101.

iniungemus eo consilio, sicut ipse in prooemio ait, partam „ut scribendi arte rudem vetustatem superaret"; non igitur commovet legentis animum, sed delectat potius, id quod ab historici munere longius abesse debet. Propius autem ad Thucydidis rationem Sallustius iam pridem accesserat cum in exponendis rebus gestis tum in orationibus narrationi interpositis. Differunt enim accuratissime hominum quos loquentes facit non tam verba quam sententiae. Clara in hac re sunt exempla Caesaris Catonisque [1]) de eadem re verba facientium, quorum in orationibus optime illustrata videmus verba quae sequuntur [2]), diversis moribus ambo fuisse, eloquentia tamen prope aequales, ita ut nisi ipsa verba at certe sententias eorum secundum veritatem expressas et morum utriusque rationem habitam esse putemus. Simili ratione Memmii Mariique orationes aestimandae videntur. [3]) Bona fortuna nobis etiam accidit quod ex historiis omnino deperditis orationes et epistolae servatae sunt, quas rhetoricae artis causa posteri admirabantur quasque summi esse momenti in Taciti imitatione recensenda supra vidimus.

Itaque apud omnes historicos orationes deprehendimus partim narrationi servientes veluti apud Herodotum Liviumque, partim publicae vitae testimonia, ut apud Thucydidem et Sallustium, apud omnes tamen ad describendos singulorum animos necessarias. Quae cum ita sint, etiam Tacitum iis usum fuisse non mirabimur, causarum autem nulla omnino ad eum referenda videtur. Uberius enim eum narravisse res orationibus interpositis nemo contendet, nec sub imperatoribus contiones et orationes in senatu tanti fuere momenti, ut orationes reddendae posterisque tradendae viderentur, nec denique mores hac ratione descripsisse Tacitum elucet, utpote qui hac ipsa morum accurata expositione in omnibus operibus excellat. Sed reputemus ab oratoriis studiis eum profectum paulatim ad res gestas scribendas pervenisse; postea quoque quem ad finem pervenerit scimus ex accurata ipsius expositione de munere annalium. [4]) Scripta sua intuens, uberrima materia veteres uti potuisse, sibi autem in arto et inglorium laborem esse, quippe cui parva modo describenda sint, queritur contra ingentia priorum bella,

---

[1]) Sal. Cat. 51. 52. — [2]) ibid. 53 fin. et 54 init. — [3]) Sal. Iug. 31. 85. — [4]) Ann. IV, 32—33.

neque urbis res nisi maestas esse, unius denique arbitrio omnia gesta. Iam addit, „non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia ex quis magnarum saepe rerum motus oriuntur“, et deinde [1]) ita pergit, „ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur.“ Res igitur perscribere studuit non nudas, sed etiam causas interiores exploravit, tamen priore loco confitetur, scripta sua ut profutura ita minimum oblectationis adferre, quoniam non referant res quae retineant ac redintegrent legentium animum, situs gentium, varietates proeliorum, claros ducum exitus. Qua in re mirum hercle est quod severus ille Tacitus queritur, quod artificiosis narrationibus legentium animos oblectare non possit; quamquam et situs gentium interdum accuratius describit et proelia satis multa refert. Itaque in idem fere vitium, quod in ceteris scriptoribus reprehendit, paulatim delapsus est, ut ornata dicendi ratione usus ad oblectandos potissimum legentium animos scribat; propria ipsi modo eaque eximia est ratio qua singulorum hominum mores et ingenia summa arte nobis describit et ubique ad honestum veluti fontem omnium virtutum refert. Neque tamen, quamquam modo triplici ratione omnia ingenia aestimasse eum constat [2]), eadem ratione unius generis omnes temere colligit, sed alium alia ratione accuratissime describit. Iam vero quid sibi velint orationes etiam intelligemus; non tales omnino sunt quales re vera habitae erant sed, sicuti narrationes illae [3]), magna ex parte fictae sunt et artificiose conscriptae ad oblectandos potissimum legentium animos. Qua in re multum eum iuvit, quod ipse antea orator fuerat ab omnibus celebratus, atque etiamsi taeduit eum eius muneris, tamen sero orationes quoque inserere scriptis pristina sane recordatione motus non dubitavit.

His in universum expositis, restat ut de singulis orationi-

---

[1]) Hist. I, 4. — [2]) Hoffmeister. l. c. p. 188. Cui Haasius prol. ann. 267 assentitur nisi quod ipsum Tacitum inter modica secundae partis ingenia numerari vult. — [3]) Spengel. l. c. p. 31: Gleich den Dichtern erlauben sich die römischen Geschichtsschreiber viele Freiheiten, welche ein Geschichtsschreiber, dem Wahrheit das erste Gesetz ist, mit Widerwillen von sich weist; und so mag man die Schlachtenberichte nicht unpassend mit den Reden auf ziemlich gleiche Linie stellen.

bus videamus ita, ut primum breviter quaeramus, utrum oratio in eas de quibus ubique agitur res conveniat nec ne, deinde autem accuratius ad compositionem ac potissimum ad elocutionem animum advertamus. Atque cum haec quaestio in Tacito longe gravissima sit ideoque plurimorum studiis tractata[1]), tamen unius modo curas novissimas prae ceteris in luce positas esse velim; Woelfflini accuratissimam dico quaestionem per complura Philologi volumina continuatam, ex quibus quae in vol. XXV, p. 97—127 leguntur in quavis deinceps pagina etsi non aperte citata tamen continuo respici credantur velim. Iam quoniam his sex annalium libris, de quibus agendum erit, continentur res ab anno XIV. usque ad XXXVII. p. C. gestae, deperditis modo annis prope tribus post librum quintum, atque idem temporis spatium narravere etiam praeter Velleium et Valerium facile omittendos Suetonius in vita Tiberii et Dio Cassius in libris LVII et LVIII, hos duos scriptores interdum in auxilium vocare placebit.[2])

I, 22. Iam in oratione Vibuleni, quoniam ex longioribus haec prima est in quam incidimus, qua ratione inducat loquentes Tacitus statim ab initio videamus; et admirabili sane varietate usus est, ita ut paucas modo orationes isdem verbis incipiat, sed aliam alia ratione.[3]) Quod vero Wachsmuthius voluit, talibus formulis incertis iam indicari, non ad verbum

---

[1]) Quorum etsi quosdam iam hic illic commemoravi, tamen quibus praecipua debetur elocutionis Tacitinae notitia iam in unum colligantur: Boetticheri lexicon Taciteum, eiusdemque de vita scriptis ac stilo Taciti libellus; Nipperdeii prolegg. p. XXX—XXXVI, item Haasii. p. XLII—LV; Lieberti liber de doctrina Taciti; Draegeri liber, Ueber Syntax und Stil des Tacitus. Quibus novissima accessit amici, cum quo etiam studiorum rationem semper communicaveram, Seelischii quaestio de cass. obl. apud Valerium Maximum usu Liviani et Tacitei dicendi generis ratione habita, Monasterii 1872. — [2]) Qua in re valde doleo quod scripta Carsteni (de Tac. fide in sex prioribus annalium libris) et Weidemanni (Die Quellen der ersten 6 Bücher in T. Ann.) inspicere non licuit, quae quidem de his ipsis libris agunt. Sero etiam allatus est libellus Ph. Spittae „de Taciti in componendis enuntiatis ratione“, ex quo pauca modo haurire licuit. — [3]) *Inquit* I, 22. 12. 74. IV, 8. *ita coepit* I, 41. *verba in hunc modum fuere* I, 58. *sententia in hunc modum fuit* III, 53. *in hunc modum adloquitur* II, 71. *codicilli in hunc ferme modum compositi* III, 16. *in hunc modum exorsus est* III, 50. IV, 34. *his verbis exorsus* VI, 12. *ad hunc modum*

omnino Tacitum sequi oratorem, sed simili ratione usum eius summam tradere, cum apud omnes scriptores rerum et ipsum Polybium legantur eiusmodi formulae [1]), in Tacito tamen minus valere hoc videtur, quoniam iam ex summa eius in hac re varietate sequitur, consilio eum ita scripsisse neque formulis antiquitus traditis usum esse. Deinde etiam hoc loco accuratius demonstremus ita ut etiam de sequentibus orationibus valeat, quod Spitta breviter annotavit et Woelfflinus exemplis quibusdam firmavit, „in orationibus alium esse Tacitum magisque rhetorem quam primo obtutu compareat, tum accuratius investiganti multa obvia esse et ab narrantis stilo diversa“. [2]) Iam non variat in oratione singulis verbis, sicut in narratione, sed plura ibi interdum synonyma vocabula idem exprimunt, neque is apparet omnino sermo qui semper a communi genere dicendi abhorrere dicebatur teste Plinio, imo accedere ad proprium quoddam et severum (σεμνόν), sed idem in orationibus apparet, qualis fere in dialogo iam fuit. Huc igitur pertinent nostro loco compositiones, *innocentibus et miserrimis, lucem et spiritum, habet atque armat, osculis lacrimis,* huc illae ludum rhetoricum redolentes figurae climax vel periphrasis in verbis *quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit?* Deinde anaphora in verbis *cum — cum* et quod subiectum quoque desideratur in verbis *habet atque armat* rhetorici est ardoris. [3]) Talia militem gregarium in seditione dicere vix credemus, imo minas iacere truces vel interrogationes vanas vel etiam lusus rudes quorum multa eius temporis exstant exempla veluti de centurionibus et imperatore ipso et Germanici filio. [4])

I, 28 commemoratur centurio Clemens inter eos quos ad leniendos militum animos elegit Drusus, et sine dubio pro uni-

---

ordiendo VI, 14. *ad hunc modum coepit* II, 37. *huiuscemodi orationem coepit* IV, 37. *his ferme verbis usus* II, 38. *haec atque talia* ibid.

[1]) Polyb. III, 110: *ταῦτα καὶ τοιαῦτα παρακαλέσας.* XXI, 7: *ταῦτα δὲ καὶ τούτοις παραπλήσια διαλεχθείς.* Contra ante dixit XII, 25, [b]: *ὅτι τῆς ἱστορίας ἰδίωμα τοῦτ᾽ ἐστίν, τὸ πρῶτον μὲν αὐτοὺς τοὺς κατ᾽ ἀλήθειαν εἰρημένος οἷοί ποτ᾽ ἂν ὦσι γνῶναι λόγους ... ὁ δὲ καὶ τοὺς ῥηθέντας λόγους καὶ τὴν αἰτίαν παρασιωπῶν, ψευδῆ δὲ ἀντὶ τούτων ἐπιχειρήματα καὶ διεξοδικοὺς λέγων λόγους, ἀναιρεῖ τὸ τῆς ἱστορίας ἴδιον.* — [2]) Spitta l. c. p. 3. — [3]) cfr. Pfitznerum „Die Annalen kritisch beleuchtet“ vol. I. ad hunc locum. — [4]) Ann. I, 23; Suet. Tib. 42. Calig. 9; Dio 57, 5, 6.

versis verba faciens inducitur, sicuti in contrariam partem antea Percennius et Vibulenus. Iam ipsius verba apponuntur, sincerae quidem interrogationes rhetoricae, sed accurate dispositae sententiae; primum enim inutile esse eorum inceptum demonstrat, deinde e contrario utilitatem poenitentiae statuit et finem facit sententia communi allata. Habemus igitur brevissimum chriae exemplum tres potiores partes continens, causam, contrarium, simile; quod utrum consilio ita composuerit an forte modoque pristinae rationis memor, nihil interest, cum in universum haec pauca verba doceant, etiam in levissimis verbis cuiusdam allatis Tacitum rhetoricae artis praecepta sequi, i. e. si historiae munus spectamus, nequaquam secundum veritatem scribere.

I, 42 Germanici longior oratio sequitur, qui cum antea in summo discrimine versarentur res, pauca locutus, iam ubi laetos largitione vidit milites et uxoris reditum orantes, acriter in eos invehi non dubitat pluribus verbis, cum paucis iam contenti fuerint. Quae oratio quamquam apud circumfusos subito habetur, tamen mirum quod credere cogimur, tam prompti fuisse Germanicum animi, ut quasi iusta contione habitam et accuratius elaboratam orationem ilico proferret; praeterea id animadvertendum videtur, eam ipsam orationem fere maximam in annalium libris esse modoque Tiberii epistolae (III, 53) hac ratione similem. Iam cum tota oratio ex genere demonstrativo sit[1], tamen iudicialis generis partes tam accurate elaboratas prae se fert, ut a Tacito compositam esse orationem appareat. Prooemium sibi sumpsit scriptor a rebus modo gestis in eoque defendit missionem uxoris ac filii; deinde transit narratio ad ipsam seditionem inde a verbis *quid enim per hos dies inausum,* quae aperte secunda pars orationis est; postquam aliquot exemplis, quae etiam Suetonius exhibet[2], verba sua confirmavit, sequitur tertia pars, probatio, inde a verbis *primane et vicesima*, quae demonstrat iniuste et ingrato animo rebellasse legiones. Quarto loco refutatio iusta sane desideratur, quoniam seditionem factam esse nemo negare poterat, tamen inde a verbis *neque enim di sinant* seditionem componi non posse nisi poeni-

---

[1]) Accuratius ad eas refertur quae dicuntur προτρεπτικοὶ λόγοι, cfr. Volkmann. l. c. p. 174. — [2]) Suet. Caes. 70; Aug. 17.

tentia militum dicit ideoque quantum potest contrarium refutat. Iam transit ad perorationem, pudore et gloria milites affici fingens, et recta allocutione, *vos quoque,* severam in fine cohortationem profert. Est igitur oratio partim accusatio in tribus partibus prioribus, partim cohortatio in posterioribus, ideoque tota sapienter a probris producta est ad preces; neque facile aptius diversa genera orationis coniuncta esse contendemus, sed optime et artificiose Tacitum haec composuisse ad Germanici imaginem exornandam, etiam hoc loco apparet. Iam dicendi genus et singula verba ex proposito nostro contemplari opus est. Ac primum quidem uberius fluere orationem quam narrationem elucet totumque prooemium ita uno comprehenditur verborum circuitu, qualem nusquam fere narratio in annalibus prae se fert. Porro hic non omnino brevis est Tacitus in verbis, sed in sententiis; itaque asyndeton in oratione non pertinet ad brevitatem dicendi, sed ad rhetoricam, et satis ibi explicatur ex interrogationibus concitatis et affectu sensuum. Denique etiam varietas minus conspicitur ideoque synonyma non multum inter se distantia inveniuntur atque adiectiva complura inter se sine substantivis coniuncta, quo pertinent haec exempla *inausum intemeratumve, vallo et armis, vultu et aspectu, mirum et indignum, melius et amantius, decus et claritudo,* quibus fortasse addendum *pudor et gloria,* quoniam exempla quae Nipperdeius ad hunc locum protulit omnia fere ex orationibus deprompta sunt. Idem etiam verbis *hostium ius, sacra legationis, fas gentium* aliam figuram rhetoricam bene expressit; est enim congeries quae vocatur, quae compluribus rationibus unum respicit[1]), et hoc loco artificiosius etiam composita est chiasmo insuper addito. Restat ut de singulis vocabulis dicamus, quae vel sola inveniuntur in orationibus vel formam in iis permutant; qua in re etiam Woelfflinus exemplis permultis conquisitis tamen omnia non ubique in certum quendam ordinem redigere posse videtur. Substantiva enim in *-tudo* desinentia in annalibus et inprimis in extrema parte dicit praevalere, contra eorundem formam in *-tas* exeuntem legi in prioribus libris et in orationibus; attamen hic legimus *claritudo,* quod in priore annalium parte per se non offenderet, offendit autem quia in

[1]) Volkmann. l. c. p. 282.

oratione legitur. Porro *vinculum* exstat in hac oratione, quod bene ad eiusdem regulam referretur, quod breviorem formam *vinclum* propriam esse dicit narrationis, nisi idem hunc ipsum annalium librum primum eximere coactus esset e reliquis utpote in quo variet lectio inter *vinculum* et *vinclum*. Quamquam haec universum de oratione iudicium infirmare nequeunt, quod eam et elaboratam esse a Tacito secundum rhetoricae artis praecepta, ideoque differre ab historia in rebus, et in singulis vocabulis alienam esse a narratione, ideoque differre ab historia etiam in verbis dicimus.

I, 58 Segestes loquens inducitur, quamquam is cum vetus Romanorum socius esset et per filium ab iis auxilium petivisset, excusandi nullam habuit causam. Tota oratio autem aeque ac superior Germanici non certi generis est, sed concessionis, quae est ex genere iudiciali, duo genera coniungit et est partim purgatio, quoniam se quidem fidem Romanis habuisse sed forte impeditum dicit, partim deprecatio, quia filiam et filium consiliis suis obstitisse Romanis fatetur, iisque modo veniam petit. Itaque prima verba tamquam propositio totius orationis sunt; quam sequitur probatio, primum ipsius universam erga Romanos fidem prae se ferens, deinde qua ratione etiam Arminium, filium, filiam ad Romanorum rem traducere studuerit; in novissimis verbis, quamquam haec de sola filia sunt, tamen propius ad propositionem redit ideoque conclusionem quandam efficit, cum se utpote Thusneldae patrem una comprehendat. Quaedam etiam in hac oratione in dicendi genere digna sunt quae commemorentur. Synonymorum unum exemplum exstat, *fidei et constantiae;* gravissimum tamen testimonium, brevitatem in orationibus non sequi Tacitum, illud est quod duplicem quaestionem iusta ratione inducit hoc loco verbis *utrum* — *an*, quod numquam in annalibus vel historiis, bis modo in dialogo et semel in Germania eum fecisse Nipperdeius et Woelfflinus demonstravere. Aperte igitur inde sequitur, verborum copia in orationibus extremi operis Tacitum uti eadem qua in prioribus scriptis, aliena illa quidem ab annalium elocutione universa. Annotanda etiam videntur paronomasia in verbis *defleri* — *defendi* perspicua, et figurae quam vocant *ἓν διὰ δυοῖν* pulchrum illud exemplum, *pro iuventa et errore filii.* Denique quid sibi velit oratio sane difficilius intelligitur, cum ad celebrandum Se-

gestem proditorem eam non conscripserit Tacitus, qui acrem et perpetuum Romanorum hostem Arminium iusta laude exornavit et supplicium apud Germanos de proditoribus sumptum plane probavit. [1]) Praeterea neque cuiusquam mores accuratius describit oratio neque nova omnino profert; imo eadem, quae apud Varum egisse se contendit Segestes, uberius iam narravit scriptor ipse (I, 55), ita ut totam orationem interposuisse Tacitus non videatur nisi variationis studio ductus.

I, 59 Arminii verba oratione obliqua quidem enarrata sunt, sed ad nostram quoque quaestionem pertinent, quod et illa ipsa obliqua oratio abhorret ab ea ratione qua in prioribus scriptis inducit Tacitus duces ad proelium evocantes et hoc loco verba quasi contraria Segestis orationi opponuntur. Nam cum ille de sua erga Romanos fide dixisset, Arminius de suis erga Germanos beneficiis agit victoria de Varo reportata partis. Transit tamen in fine ad cohortationem militum, qualem saepissime apud scriptores rerum deprehendimus. Apud Tacitum eximium eius generis exemplum Calgaci orationem esse supra vidimus. Et illam quidem longiorem scripsit, propterea quod tum primum a rhetorum studiis profectus ad historiam accedebat; quamquam sententiae communes de libertate, de patria, de uxore ac liberis, de avaritia Romanorum plane eaedem sunt per totum operum ordinem. Sed in historiis breviores iam inveniuntur eius generis orationes, in annalibus vero rarae et breves admodum et obliquo sermone pronuntiatae. [2]) Hoc loco autem quantum quasi invita ducatur Taciti natura ad id genus descriptionis, bene elucet e verbis quibus inducitur oratio; scriptor enim neque probris eum temperasse dicit et probra modo enuntiaturus occasione data etiam effunditur in sententias illas, quae ineptae quidem non sunt, sed cum pluribus locis repetantur, pristinam studiorum rationem vehementer redolent.

Perlustrato iam libro primo in universum rationem constituisse videmur, qua de unaquaque oratione iudicandum sit; sed ratio constet demum si plura adhuc exempla collecta erunt, ideoque sex libros priores tractandos nobis proposuimus. Iam orationes omnes praeter unam Germanici in senatu habentur;

---

[1]) Ann. II, 88. Germ. 12. — [2]) cfr. Hist. I, 37. V, 17. Ann. II, 14—15. 45—46.

cuius generis sane egregia exempla liberae rei publicae tempore operibus interponere potuit Sallustius, sub imperatoribus autem adeo mutata erat senatus auctoritas adulatione et metu, ut orationes eius temporis vanae declamationes sint et ipse Tacitus orationem sub Tiberio angustam et lubricam dicat[1]). Tamen hac quoque ratione operam dedit, ne legentium animos continuis declamationibus fatigaret, imo varietate oblectaret; sententias enim se non exsequi affirmavit nisi insignes per honestum aut notabili dedecore,[2]) dedecus praevalere addens et omnia ad maiestatis crimen et delatores revocans.[3]) Itaque ex orationum copia utriusque partis eas elegit, quibus vel honestum vel dedecus dicentium demonstraret. In his autem de quibus agitur libris cum omnia ad Tiberium referret, honesti exempla orationes Hortali, Cremutii, Terentii commemoravit; dedecoris praeter breviora quorundam enuntiata proposuit Tiberii ipsius orationes quatuor et literas tres, quibus principis imago continetur. Nihilominus a proposito interdum aberravit, cum egregias saepenumero sententias, quae Hortali et Cremutii verba fortasse aequabant, omitteret, rectiusque Dio egisse videtur qui etiam Cremutii historiam sine oratione narravit.[4]) Tacitus autem breviter neque ipsius verbis allatis attingit Libonis accusationem[5]), quamquam accuratius ab initio se hanc rem traditurum promittit ob delatores ibi primum in lucem prodeuntes; Asinii Galli orationes libertate eximias fuisse praedicat, neque tamen unum earum verbum apponit;[6]) L. Pisonem propter saevitiam oratorum accusationes minitantium curiam relinquentem, firmum in iudicio contra Caesarem, ferocem omnino facit, id quod summi sub imperatoribus discriminis erat, neque tamen verba eius referenda censet.[7]) Contra Haterii verba, quibus Tiberium offenderat, semel commemorat, quamquam foedissimae adulationis eum postea arguit;[8]) item M'. Lepidi orationem, qua mitigare modo poenam rei cuiusdam studuit, recipit eiusque modestiam modo praedicat,[9]) cum ferociorum sententias silentio tramiserit; Vitellii orationem, quam ipse Plinius accuratius commemoravit, modo nominat quamquam et amicum eum Germanici

---

[1]) Ann. II, 87. — [2]) ibid. III, 65. — [3]) ibid. IV, 6. 30. — [4]) Dio 57, 24. — [5]) Ann. II, 27. Suet. Tib. 25. Dio 57, 15. — [6]) Ann. I, 77. II, 33. 36. IV, 71. — [7]) Ann. II, 34. IV, 21. — [8]) Ann. I, 13. III, 57. — [9]) ibid. III, 50. IV, 20.

et multa eloquentia praeditum dicit;[1] Valerium Messalinum, cui inesse imaginem paternae facundiae affirmat, tamen oratione obliqua disserentem facit.[2] Sed exemplorum numerus sufficiet. Transeamus igitur ad orationes in senatu habitas; quarum notitia cum potissimum ex actis senatus[3] profluat, etiam Tacitum ex hoc fonte hausisse putabimus, quamquam Augustus eorum editionem prohibuerat. Sed etiamsi inspicere ea non licuit, quod vult Nipperdeius, tamen fastos, testamenta, orationes[4] se comparasse saepius dicit et ea re valde adiutus est quod etiam praesentem principem scripta oratione adire plurimi solebant.[5] Ita facile servabantur et edebantur orationes neque etiam principum iussu vel senatus consulto prorsus opprimebantur, sed manserunt occultatae et editae, sicuti Cremutii scripta; quin etiam principis orationes inde ab Augusto potissimum scriptae erant et a principis quaestore recitabantur.[6] Quo in numero cum tres Tiberii apud Tacitum literae habendae sint, etiam reliquas orationes iis addere liceat. Nunc autem singulas orationes deinceps recensebimus.

II, 37 M. Hortali oratio ad illud genus pertinet, quo in senatu saepe res ab eo, de quo agebatur, alineae proferebantur. Quod ius cum olim ad impedienda senatus consulta saepe valuisset, tum modo preces vel adulationes coram imperatore protulit. Preces potissimum nobilium erant egenorum ad sublevandum censum spectantes, ex quibus Pium Aurelium et Propertium Celerem iuvit Tiberius, in posterum autem senatum antea probare causam iussit.[7] Nihilominus autem iam Hortalus loco sententiae eiusmodi preces proferre ausus est. Orditur igitur a iusta senatus appellatione, *patres conscripti*, quam etiam reliquis omnibus orationibus in senatu habitis Tacitus praeposuit; eandem omisit in duabus Terentii et Tiberii certis quidem rationibus,[8] et in iis ubi ab initio obliqua oratione usus subito transit in rectam.[9] Diligenter igitur etiam minutas

---

[1]) Plin. hist. nat. XI, 71. Tac. Ann. III, 13. — [2]) Ann. III, 34. — [3]) cfr. Boettich. s. v., Nipperd. proll. p. 20 et Suet. Caes. 20; Oct. 36. Tac. Ann. II, 88. V, 4. — [4]) Ann. I, 15. III, 17. I, 8. 11. 81. — [5]) Ann. IV, 39. — [6]) Dio 54, 25: *συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον αὐτὸς μὲν οὐδὲν εἶπεν ὑπὸ βράγχου, τὸ δὲ δὴ βιβλίον τῷ ταμίᾳ ἀναγνῶναι δοὺς...* — [7]) Ann. I, 75. — [8]) II, 38 Tiberius Hortalum alloquitur neque senatum; VI, 14 in contextu orationis demum sequitur allocutio. — [9]) Ann. III, 12.

eiusmodi res ubique in imitatione sua respexit Tacitus eoque plane demonstrat, quanto studio cuncta complexus sit. Iam in Hortali oratione pauca inveniuntur vocabula, quae rhetoricae sunt originis; in his quod primum Woelfflinus *nec—nec* annotavit tamquam raram in annalibus coniunctionem,[1]) etiam addere debuit, hunc locum utpote ex oratione sumptum magis etiam eam sententiam confirmare. Minus ad orationem variatio *non—non—neque* et Genetivi causalis cum Gerundivo coniuncti exemplum *conciliandae misericordiae* convenire videntur, sed sapienter in universum Tacitus rationem habuit veritatis, quae in oratione loco sententiae habita multa dicere sane vetuit. Tamen quaedam ad commovendos legentium animos excogitata restant, veluti Hortalus modo avi modo Augusti imaginem intuens, quatuor liberi non sponte sublati, tot consulum et dictatorum progenies ad implorandam misericordiam perducta.

II, 38 Tiberii prima oratio sequitur in quam incidimus, praeter quam tres etiam Tacitus exhibuit. Quas priusquam singulas adeamus, iudicium observandum est, quod Tacitus in universum de Tiberii eloquentia tulit. Ac primum quidem per se eloquentem eum fuisse et bene institutum docet, ubi priorum imperatorum eloquentiam recenset: *artem callebat, qua verba expenderet tum validus sermonibus aut consulto ambiguus.* Accuratius deinde definit eius eloquentiae duas partes ita ut, si verum diceret, solutius promptiusque elocutum fuisse dicat, alias compositum ac velut eluctantium verborum.[2]) Boni igitur fuit scriptoris, cum complures orationes narrationi insereret, etiam duplicis Tiberii eloquentiae proferre exempla singula; contra universum illud iudicium, Tiberium etiam vere dicere potuisse, tam arcte determinat, ut semel modo fida oratione eum fuisse usum dicat, ibi autem unicum hoc veritatis exemplum maligne celet.[3]) Reliquas vero orationes, quae iam omnes sunt simulatae, haud facile intelligimus cur tamquam tot nequitiae exempla accuratius descripta proferat, cum una earum contenti fuerimus. Huc accedit quod ne dicendi quidem ratio in his orationibus differt ab aliorum verbis, quae relata legimus. Sunt illae quidem[4]) „speciosae verbis, re inanes et subdolae", sed eandem

---

[1]) Woelfflin. l. c. p. 124. — [2]) Ann. XIII, 3. IV, 31. — [3]) ibid. I, 52. — [4]) I, 81.

Tiberii morum notitiam etiam tota ex narratione tam aperte percipimus, ut tot orationibus non amplius opus fuerit. Restat igitur haec sola ratio, ut Tacitum, cum senatum et orationes in eo habitas more priorum scriptorum describeret, primas partes Tiberio tribuisse et orationes eius conscripsisse dicamus, quo maiorem illius simulationem demonstraret. Hoc loco iam Hortalo respondens preces eius detrectat, propterea quod senatus iis favebat; neque tamen omnia eius verba affert Tacitus, sed *his ferme verbis usum* et *haec atque talia* dicentem facit principem, de quibus brevitatis formulis apud scriptores frequentissimis supra egimus. Itaque nec totam apposuit orationem nec fortasse partem eius validiorem, sed e rerum connexu composuit quasdam sententias; ac primum quidem ne alii quoque idem petant atque Hortalus cavendum dicit, deinde neque suo loco neque modeste proferri preces docet, denique recte finit sententia communi adiecta, ita ut Taciti verba *haec atque talia* de iis, quae scriptor in fine fortasse omiserit, intelligere nequeamus. Nec desunt vestigia elocutionis alienae a narrandi genere, quae ad oratorium scribendi genus revocanda sunt; ita *sive—sive* hoc loco exstat, qua re confirmatur Woelfflini iudicium, quamquam is quidem hoc exemplum non enumerat, nempe correlativa in prioribus scriptis (ideoque etiam iure in orationibus posteriorum) minus variare in forma, quam in annalibus. Idem neglexit hanc orationem, cum longiores formas *transmittere* et *velut* etiam ad oratoria scripta et orationes referat, quibus adiectis exemplis numerus eorum imminuitur locorum, qui regulae repugnare videntur.[1])

II, 71 sequitur Germanici morientis oratio ad amicos habita, quae quamquam ad certum genus referri nequit, tamen proxime ad illam rationem accedit, qua in oratione funebri et laudantur mortui virtutes et eriguntur posterorum animi ad fortia facta. Itaque hoc loco quasi laudationis munus suscepit Tacitus, et quamquam etiam insequentibus capitibus Germanici mores et indolem describit, tamen extremi honoris expertem eum esse noluit ipsumque egregias eiusmodi sententias loquentem facit. Et primum quidem grave fatum incusat quod et iuvenis et fraude circumventus obeat, deinde fortitudinis et iustitiae amicis pro-

---

[1]) Woelfflin. l. c. p. 123. 103. 108.

ponit viam, qua ipsius mortem ulciscantur. Tribus autem rationibus ad illud genus admonet oratio: primum quod enumerantur parentes, liberi, patria morientis, deinde quod iuvenis et tot bellorum superstes mori dicitur, denique quod amici ab ignavo questu retinentur, quae sunt primariae consolationis partes ex genere demonstrativo,[1]) modo insolenter hoc loco positae, quoniam ab ipso de quo agitur moriente pronuntiantur. Ex singulis vocabulis *adversus* breviori forma dictum priorem Taciti elocutionem sequitur, cum altera forma *adversum* in annalium VI libris primis exceptis orationibus praevaleat. Minus ad orationem quadrare videtur vocabulorum series *si quos—si quos—etiam quos*, propter extremae partis varietatem, cuius etiam in Hortali oratione exemplum deprehendebamus, ita ut regulae quam proposuit Woelfflinus modum aliquem faciamus. Contra addendum est *aut non—aut non* exemplis iis, quibus talem responsionem raram legi docet in annalium libris prioribus.[2])

III, 12 proxima et re et loco est Tiberii oratio, qua de Germanici interfectore Pisone „meditato temperamento“ agit, neque haec integra legitur, sed ex obliqua oratione transit in rectam, quod ipsum ad variationis quoque studium pertinet. Neque enim Tacitum, qui tam accurate orationes elaboravit, quasi temere et medio in impetu mutare sermonem putabimus, sed consilio diligenter proposito. Ita etiam hoc loco prior pars orationis nihil novi affert post ea quae antecedunt, sed agit sicut illa de universo Pisonis rei statu et quasi expositio est. Atque ea sane simplicissima fuit ratio principis qui celare suam sententiam studuit, ut diceret tripertito de reo, de accusatoribus, de iudicibus, quod sagaciter vidit Tacitus et accurate divisit partes his verbis *quorum ego* et *vosque oro* usus. Iam prior quoque Tiberii oratio pari modo a conditionali sententia inceperat, sicut haec, quod quamquam per se non mirum est, tamen ipsa repetitione et responsione *si—sin* in initio orationum[3]) posita proprium esse Taciti intelligitur, neque in narratione hoc dicendi genere usus est. Ceterum non differt oratio singulis verbis, nisi quod *namque* hoc uno loco legi in interrogatione recta con-

---

[1]) cfr. Volkmann. l. c. p. 190. — [2]) Woelfflin. l. c. p. 124. — [3]) *si* II, 38. *si — sin* III, 12. 50. II, 71 mutatur sententia et in altera parte pro *sin* sequitur *nunc*; *si — sin* in conclusione III, 54.

tendit Woelfflinus p. 111, cum Halm. Haas. Nipperd. exhibeant lectionem *nam quo pertinuit?*

III, 16 ad eandem quaestionem Pisonis codicilli pertinent, qui in senatu recitantur; quos utpote breves et posteris certe relictos ad verbum exprimi potuisse crederemus, nisi singula in iis verba accuratissime agnosceremus tamquam orationibus propria; ideoque intelligitur etiam tum immutasse verba Tacitum, cum historiae fontes inspexit. Iam partitio simplex est, cum de se Piso desperet et modo innocentiam suam paucis commemoret, filii vero salutem unicam deprecetur; quae extrema pars incipit a verbis *vosque oro,* quae, sicut supra in Tiberii oratione, in initio conclusionis posita sunt. Singula verba, quae diximus a Tacito ducere originem neque a Pisone, sunt haec, *quatenus,* quod hoc solo loco legitur in libris historicis, item *ago et rogo,* quorum in annalibus modo reperiuntur frequentativa.[1])

III, 50 de M'. Lepidi oratione in universum iam dictum est. Quae ipsa quoque tripartita est; nam primum poena dignum censet Lutorium, deinde de ratione poenae deliberat, in fine exilium suadet. Neque reliqua differunt ab orationum genere; nam incipit oratio a rhetorica distributione, *si—sin,* et senatus rite appellatur. Prae concinnitate autem non negligitur sententia; itaque in gradatione legitur *neque—neque—ne quidem,* infra autem simpliciter *neque—neque;* componuntur synonyma, *suppliciis ac remediis, grave ac serium,* in comparatione accurate duae partes *ut—ita* distinctae sunt; denique in fine est formula uberior *perinde ac si,* qua in narratione vix usus fuerit Tacitus. Quibus addendum est, in hanc orationem cadere insuper imitationem Sallustii apertam, quarum conspectum Woelfflino debemus, qui etiam hoc loco annotavit *flagitia et facinora.*[2])

III, 53.54 epistola Tiberii longe maxima est orationum de quibus agimus, et clarum exemplum eius dicendi generis, quod Tacitus Tiberio vindicat speciosum verbis, re inane et subdolum. Paucis enim modo praemissis de causa, cur literis rem agat, iam multis admodum verbis de ipsius munere et cura erga civitatem disserit a verbis *sed illi* usque ad verba *in melius mutet,* et in fine rursus paucis omnem de coercendo luxu deliberatio-

---

[1]) cfr. Woelffl. p. 120. 100. — [2]) Phil. XXVI, 122. cfr. Sal. Cat. 14, 1. 2. 23, 1. 37, 5.

nem a se reicit. Ita cum verbis rem ipsam obtegere studeret Tacitus, immemor sane erat eius quam ipse supra statuerat propositionis, *num coercitio luxus plus damni in rempublicam ferret, quam indecorum attrectare*, neque tamen de ea re quaestionem prorsus omittere volebat ideoque insequenti capite digressionem de ea re factam adiecit. Ad priorem orationis partitionem etiam referri poterunt duae chriae partes accuratius iam elaboratae, simile, quod ex corporis morbo petitum est, et exemplum, quod ex Augusti vita depromere Tiberius solebat. Quae cum repugnent universo huius orationis colori, tamen quam prudenter ad singulas res ubique accesserit Tacitus docent, quoniam ne turbare quidem orationis ordinem dubitat, dummodo Tiberii eloquentiam melius explicet. Iam ad orationis ubertatem spectant divisio saepius accurate posita, *neque—neque*, synonymorum compositio, *maius aliquid et excelsius, offensiones inanes et inritae;* ex singulis vocabulis *velut, contemptu, adepti* his ipsis formis pronuntiata abhorrent ab annalium elocutione historica. Quibus addendum etiam erit *inritamentum*, cuius vocabuli cum altera forma *inritamen* in usu esset, iam rarior forma Tacito in annalibus ponenda fuit contra illam prioribus scriptis et orationibus usitatam. Quod exemplum neglexit Woelfflinus l. c. p. 100. Denique *clamito, satias, dein, offensio* male etiam in eiusdem rationem conveniunt.

IV, 8 Tiberium loquentem facit Tacitus paulo post Drusi mortem; quo loco optime quid valuerit paucis verbis sermone obliquo perscriptis apparet. Quamquam enim „oratione continua" Tiberium usum dicit, tamen ingentem eius simulationem breviter quidem, sed tam accurate describit, ut oratione longiore adiecta vix potuerit accuratius. Huc accedit quod illa verba, quibus dolorem aliorum benigne comprobat et sibi e republica et Germanici liberis solatium petit, non tamquam ipsius verba intelligere cogimur, sed etiamsi summam orationis continent, tamen paucis scriptoris verbis melius totam rem complectimur quam tota Tiberii oratione ad verbum expressa. Iam inducuntur in senatum Germanici liberi — optima sane variandi occasio, qua usus est Tacitus ad brevem orationem interponendam quae neque sententiis differt a prioribus verbis, cum tota simulationem prae se ferat, neque singulis verbis a narrandi sermone differt. Nam ut alia omittam, *coram* legitur in anastropha, quod ut

nusquam invenitur in prioribus libris, ita etiam ab oratione alienum fuit. Unde intelligitur, pauca eiusmodi verba quae addito vocabulo *inquit* inducunter tamquam iustam orationem non esse aestimanda frustaque in iis quaeri vestigia prioris dicendi generis. Ita etiam nostro loco statim redit sermo in orationem obliquam eoque nihil nisi variationem voluisse scriptorem demonstrat.

IV, 34 Cremutii Cordi oratio eximium exemplar est libertatis, et principem sane locum obtinet inter sententias, quas insignes per honestum exsequi constituerat Tacitus. Ac Cremutium quamquam Hoffmeisterus omisit in enumerandis exemplis priscae Romanorum virtutis, quae apud Tacitum exstant, tamen isdem recte addicemus, et Tacitum utpote ingenio proximum vel optime eius orationem finxisse censebimus. Itaque accurate distributam orationem hoc loco ineptam esse ratus reum facit disserentem summo ingenii ardore, cum relinquendae vitae iam sit certus, et modo annalium scriptorem Cremutium inde cognosci vult, quod exemplis plurimis ex historia petitis defensionem sublevat. Neque rarae sunt oratoriae eloquentiae testimonia, in quibus formam praeteritionis invenimus, *non attingo,* traductionis exemplum, *dictis dicta,* item paronomasiam, *libertas—libido.* In componendis enuntiatis ubertas praevalet sicuti *haud facile dixerim—an, non modo—etiam,* quod idem integrum in fine exstat, *non modo—sed etiam,* idque unicum annalium exemplum, de quo conferas Woelffl. p. 110 et 125. Ex singulis vocabulis denique *velut, namque* suum in oratione locum etiam forma sua ab annalibus aliena iure obtinent.

IV, 37 venimus ad extremam Tiberii orationem, post quam non inveniuntur nisi duae eiusdem epistolae. Agit autem de templo sibi dedicando, et prooemio brevi praemisso ipse simplicem affert partitionem, secundum quam in priore parte prioris silentii ut ait defensionem suscipit, in altera exponit, quid in futurum statuerit. Augusti quoque res gestas, quas saepius citare solet, ad defensionem suam evocat; altera pars deinde nihil nisi brevior redintegratio eorum verborum est, quibus uberius grave principis munus in priore epistola descripserat. Iam e singulis quae ad orationem proprie spectant enumerentur primum responsio saepius rite expressa, sicuti bis *et—et,* deinde *ut—ita* et *hos—illos;* ubertas elocutionis *satis superque,* et Tiberii morum descriptio quatuor virtutibus per anaphoram compositis

comprehensa, denique synonyma, *ambitiosum superbum, cum laude et bonis recordationibus.* Etiam *proinde* legitur pro *proin* forma narrationis. Extremo loco *duint* formula bene se habet in oratione, cum ea iam Cicero usus sit eaque insuper in precatione iusta, quam hic habemus, rite poni videatur.

IV, 40 alterum Tiberii epistolarum exemplum sequitur, quo respondet Seiano Liviam sibi uxorem petenti. Neque mirabimur, tot prioribus exemplis ducti, quod etiam hoc loco initium sibi parat a principis munere definiendo; quo facto quod non simpliciter ad ipsam Liviam rem permiserit se purgat, et modeste deinde Seiani causas refellit tres, inverso tamen earum ordine. Quarum primam de inimicitiis Agrippinae obliquo sermone tractavit Tacitus, a secunda autem subito in rectam orationem transit, ubi de Seiani ordine agitur; tertio loco denique Augusti exemplum, quod commemoraverat Seianus, non in eum cadere docet. Iam inde a verbis *atque ego* perorat, totam rem addita Seiani laude quasi in posterum servaturus, reapse tamen preces denegans. Mira sane ratio et aperte rhetorica est, qua orationis partes singulae dividuntur inter sermonem obliquum et rectum; tamen non eo usque procedit scriptor, ut media in parte quadam hanc mutationem inducat, imo tunc fecit, ubi ad alteram pervenit partem, cuius gravitatem hac arte iam per se explicari voluit. Tota etiam ex epistola cognoscitur, quam diligenter veram Tiberii sententiam coniunxerit cum familiari dicendi ratione, quod summae plane contentionis fuerit, cum primum hoc loco Seiano aliquid denegaverit Tiberius. Porro de iis quae in elocutione adhuc commemoratu digna sunt, iam annotavere Spitta p. 145, et Woelfflinus p. 124, *at enim* proprie ad orationes referri, ubi sibi ipsi contradicat orator, et duplicem distinctionem *vel—vel* in annalibus non inveniri nisi hac recta et una obliqua oratione IV, 42.

VI, 12 initium literarum Tiberii traditur, tam accurate cum Suetonii verbis [1]) consentiens, ut ad verbum vere expressam esse epistolam primo aspectu appareat. Ad quam sententiam propterea etiam adducimur, quod certissime dicit „his verbis“ exorsum esse Tiberium, adiecto non ut alias *ferme* vel *modo.* Quod autem modo initium earum literarum tradidit Tacitus et

[1]) Suet. Tib. 67.

deinde statim omisso fine ad solitam de hac re considerationem transit, iterum ipse dilucide suum de orationibus reddendis iudicium indicavit.


VI, 14 Terentii oratio extrema earum est, quae in priore annalium parte leguntur, neque alia magis decorum effecerit quaestionis finem. Cremutii enim verborum admodum similis praeclarum prae se fert libertatis amorem, ita ut operae pretium fuisse concedamus libenter Tacito, hanc ipsam orationem quamquam ab ipso demum elaboratam e reliquarum copia, quae de Seiani causa habitae erant, nobis servare. Partitio autem admodum simplex est: orditur enim a libera professione amicitiae, quae ipsi fuerit cum Seiano; deinde in expositione initia et causas eius amicitiae profert, denique ut haec modo iudicetur orat. Quod iusta senatus appellatio ab initio desideratur, rarum apud Tacitum quidem est, sed imminuitur illud etiam eo, quod conclusionem saltem incipit a verbis *ne, patres conscripti.* In universum autem tota oratione magis sententias quam verba respexit Tacitus, ita ut in elocutione nihil fere commemorandum videatur. —

Haec fere sunt quae in orationibus prioris annalium partis ad rhetoricam artem spectare et aliena esse ab historico, in quo leguntur, contextu videbantur. Superest ut breviter colligamus, quid novi tota ex quaestione sequatur ad Taciti scribendi rationem recte aestimandam. Ac primum quidem eius studia rhetorica vel optime dialogum ad eum referri docent, cum extremam dubitationem, qua nemo tantopere scribendi rationem mutare posse dicitur, eo refutent, quod aperte demonstrant Tacitum institutionis oratoriae fructus percipere noluisse, utpote illo tempore parum honestos, ideoque consilio et arte deinceps novum genus sibi composuisse; neque tamen illius institutionis immemor fuit, imo in orationibus etiam novissimi operis bonum eiusdem discipulum se praebet. Quodsi recte sui temporis eloquentiam vitasse eum concedamus, tamen, si historiae munus spectamus, minus certe orationes et earum rationem comprobabimus. Neque enim isdem de causis, quibus omnes fere rerum scriptores movebantur, narrationi interposuit orationes Tacitus, sed accurate hac ratione ab iis distinguendus est neque ad ullam causam aptius revocatur eius orationum ratio, quam ad studia rhetorica. Unde factum est ut singulari illa et quasi severa

industria, qua causas et eventus ubique in rebus gestis narrandis perpendit, tum, cum ad orationes pervenit, prorsus omissa adeo rhetoricis feratur studiis, ut non solum ad unam omnes orationes accuratissime ad rhetorum praecepta elaboratas proferat, sed etiam ineptis interdum locis aut eiusdem argumenti complures componat, modo ne orationum ornatu careat narratio. Manet igitur offensio, iusto plus et nimis ludum rhetorum redolentes orationes abhorrere ab annalium ratione dicendi, contra quod supra iam commemoravimus, principem in sententiis obliquis locum deberi Tacito magisque deinceps eas prae orationibus excultas esse ab ipso per totum operum ordinem elucet. Quod vero alteram quoque annalium partem in comparationem vocare temporis iniquitate non licet, valde doleo, quippe quae pars minus adhuc locum dederit quaestionibus, quamquam in ea ipsa grave illud invenisse Woelfflinus sibi videbatur, siquidem recte colligitur ex quibusdam eius annotationibus veluti p. 103, 115, 124, quasi relabatur ibi Taciti dicendi ratio ad initia. Quae si accuratius exponentur, summi momenti et ad Taciti rationem et ad universam elocutionem aestimandam erunt, cum velut in orbem redire unius scribendi ratio videatur. Sed haec atque talia vel posterioribus curis vel doctioribus manibus interim seponantur.

VITA.

Natus sum Henricus Victor Aemilius Walter, fidei evangelicae addictus, anno h. s. LI. a. d. XV. Cal. Febr. Molhusae in urbe Thuringorum, quae Borussis paret, patre Christiano scholae rectore, matre Ioanna e gente Lier, quos adhuc vivos pia mente veneror. Gravi ab infantia morbo implicitus, postquam quantum fieri potuit convalui, dextro tamen genu captus ad eiusdem urbis gymnasium statim perlatus sum, quod per novem deinde annos frequentavi, ibique auspiciis virorum doct. hum., inprimis Dir. Osterwald et Prof. Ameis p. m., in studia incubui et mox antiquitatis studiis prorsus me tradere constitui. Itaque ubi vere anni h. s. LXIX maturitatis testimonio instructus sum, Almam Literarum Academiam Halensem petii philologicis studiis operam navaturus. Ex illo tempore per septem deinceps semestria in eodem perseveravi studio et audivi viros doctissimos Bernhardy, Keil, Zacher, Heyne, Delbrueck, Schoene, Erdmann, Haym, Ulrici, quibus omnibus optime de me meritis gratias habeo maximas, inprimis iis quorum vel seminariis vel societatibus interesse mihi contigit.



THESES.

I.

Hom. Il. I, 19. 64. 395 digamma retinendum est.

II.

Aesch. Agam. 1287 seqq. legendum est:

ἰὼ βρότεια πράγματ᾽· εὐτυχοῦντα μέν
σκιά τις ἂν τρέψειεν, εἰ δὲ δυστυχῆ,
βολαῖς ὑγρώσσων σπόγγος ὤλεσεν γραφήν.

III.

Soph. Antig. versus 904—915 tamquam interpolati removendi sunt ex editionibus.

IV.

Quintil. Inst. Or. X, 1, 104 iure Halmius Cremutii nomen restituit; falso autem praecedentia verba „superest — intelligitur“ ad eundem referuntur.

V.

Tacit. Annal. II, 33 verba „erat — promere“ recte Nipperdeius ab interprete interposita censuit.

VI.

Homoioteleuton quod proprie dicimus et nomine et re Germanorum est inventio.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 047 769 8